



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1863**

De S. Neophyta Virg. Et Mart.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

## DE SANCTA DAFROSA VIDUA ROMANA MARTYRE.

SUB JULIANO.  
IV JAN.  
S. Dafrosæ  
natalis,

**S**ancta Dafrosa S. Flaviani urbis Præfecti vidua, hoc die migravit ad cælum. De ea Usuardus: Item Romæ S. Dafrosæ, uxoris Fabiani (legendum, Flaviani) Martyris, quæ post interfectionem ipsius primum relegata exilio; deinde a Præfato Principe capite jussa est puniri. Eadem habent Martyrologium Rom. Beda, Ado, Notherus, Bellinus, Maurolycus, Galesinius; hic tamen fallitur, uti et Martyrolog. Germanicum, dum Decii jussu occisam scribit an. cclvi.

maritus,

2 Maurolycus aliique Darfosam vocant, quidam Afrosam, mendose. Meminit ejus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ; Petrus de Natalibus l. 2, c. 42, ast hic fede hallucinatur, quod eam existimet S. Fabiani Papæ, priusquam Pontificatum iniret, uxorem fuisse, et Decii jussu peremptam, cum integro post sæculo vixerit.

socii martyrii,

3 Acta S. Dafrosæ, Flaviani, Pigmenti, Bibianæ et aliorum permista sunt, et ejusmodi ut haud levi emendatione egeant. Ea dabimus xxiv Martii, quo die S. Pigmenius colitur, licet in Actis xix Februarii interfectus dicatur, quo die eum referunt quædam Martyrologia. Colitur S. Flavianus S. Dafrosæ maritus xxii Decembris; eorum filia S. Demetria xxi Junii; S. Bibiana ii Decemb.

4 Videntur hi omnes, et alii qui in iisdem Actis memorantur, sub Aproniano crudelissimo Urbis Præfecto, Juliani tempore, subisse martyrium. Et Dafrosa quidem post mariti sui mortem, fame primum cruciata, dein Fausto cuidam propinquo suo traditur: qui eam conatus inducere ut sibi nuberet, diisque sacrificaret, ipsemet ab ea imbutus fidei mysteriis, a Joanne Presbytero (qui xxiii Junii colitur) baptizatus, feliciter in ipsius tyranni conspectu extinctus est. Corpus ejus canibus expositum, Dafrosa noctu sepelivit. Dein in somnis a viro suo Flaviano evocata, post quinque dies orans expiravit.

tormenta,

mors,

5 Antonius Quintanaduenas lib. de SS. Hispalensibus tradit S. Dafrosam ac Flavianum Hispali natos, inde Romam cum filiabus migrasse. Nititur præcipue Juliani Petri testimonio, qui in Chronico nu. 163, ita scribit: S. Bibiana S. Flaviani Hispalensis Hispani filia, cum patre Romam petit, ibique martyrium patitur patienter cum matre et sororibus. Quanta sit illius Chronici auctoritas, nondum discussimus. Unicam Bibianæ sororem Demetriam omnes numerant; plures hic auctor videtur statuere.

patria.

## DE S. NEOPHYTA VIRG. ET MART.

IV JAN.

S. Neophytæ  
natalis,

**S**anctæ Virginis Neophytæ nomen in fastos suos olim retulerat Rosweydas noster, nullo adscripto die: Neophyta V. et M. in monasterio Limpurgensi. Carthusiani Colonienses in auctario ad Usuardum, iv Januarii ista habent: Item Neophytæ Virginis et Martyris. Memoratur Neopistis quædam a Baronio in Notis ad Martyrol. Rom. 28 Octob. in Cyrilla: Cyrille Memmie, Julianæ, Neopistis, ac Sophiæ Virginum ac Martyrum corpora transtulit Sergius junior in Titulum Equitii, ut vetus inscriptio marmoris incisa illic posita testatur. Verum ad quem diem illa Neopistis, quam Anastasius Bibliothecarius Theopisten vocat, sit referenda; an Neophyta sit, de qua hic agimus nos latet. Alioquin idem fere significant Neopistis, quæ recens fidem suscepit; et Neophyta, recens insita, vel noviter genita, sive quæ recentior ad fidem accessit.

nomen,

Acta;

2 Cujus vero extiterit S. Neophyta, aut quo tempore vixerit, haud satis nobis compertum. Vitam ejus RR. DD. Canonici regulares monasterii Bodecensis in diocesi Paderbornensi, e præstantissimis suis MSS. codicibus summa humanitate Joanni Gamansio nostro communicarunt. Insunt tamen in ea nonnulla quæ correctionem requirunt. Nam quod dicitur mater sanctæ Virginis soror fuisse S. Osualdi Regis et Martyris, repugnat Anglicanarum rerum scriptoribus. Ut id demus, cui illa et ubi nupta orto e stirpe judaica? ut cetera omittamus. Erit fortasse qui menda hæc, alicunde affusa luce, expuret.

reliquiæ in  
cænobio Lim-  
burg.

a Conrado  
Imp. fundato,

a S. Poppone  
edificato.

3 Ceterum Limburgi cænobii (ad quod translata a Conrado Salico Imp. S. Henrici successore reliquiæ S. Neophytæ dicuntur) originem ita describit Hermannus Contractus ad an. 1034. Conradus ex castro suo Limpurgo, inter Nemetes et Vangiones sito, monasterium fecit, quod in honorem sanctæ Crucis et D. Joannis Evangelistæ dedicari jussit. Idem ex Hermanno Joannes Cuspinianus, Christophorus Bræwerus noster, aliique recentiores commemorant. Plenius qui tum vivebat Everhelmus in vita S. Popponis xxv Januarii cap. 9, nu. 37, cum narrasset Episcopatum Argentinensem Popponi a Conrado oblatum, ingeniose ab eo declinatum; subdit, Cæsarem quæcumque abbatia rectoribus essent viduatæ, eas illi committere certatim studuisse: Et primo Lintburg, inquit, in Vosago situm, quod hæreditaria forte sibi jam olim in manus vene-

rat, probabilius cum astipulatione testium beato viro legaverat, et pro struendo inibi in honorem S. Joannis Evangelistæ cænobio preces intenderat. Qui ex regalium precum edicto, eundem locum, ferarum jam tunc cubile, multo cum labore excolens, servorum Dei conventiculis habitacula non vilia extruxit, et Christi jugum leve sub monastica institutione ipsis injecit, tum Joannem nepotem suum tam illi loco, quam apud S. Maximinum Treverensibus præfecit.

4 Quod apud Eysengreinium in historia Spirensi tradit quidam ideo Conradum ex castro suo Lympurg magnificum cænobium maximis sumptibus ac impensis construxisse, quod in eo nuper filium Conradum ex præcipitio quodam decidentem amiserat; fides esto penes auctorem, qui 500, post Conradum vixit annis. Ipse Eysengreinius Conradum scribit prope Spiram urbem in Limpurgica arce habitasse; quo auctore? Vix hoc tempore cænobii exstant vestigia.

### VITA

ex MS. cænobii Bodecensis, descripta a  
Joan. Gamansio Soc. Jesu.

**E**gregia Virgo et Martyr Christi Neophyta, secundum seculi dignitatem nobilis extitit et gloriosa, utpote regali progenie exorta; sed multum nobilior claruit laudabili morum compositione, et famosa virtutum opinione. Quæ jugiter nominis sui attendens proprietatem, sensuum maturitate teneram transgressa est ætatem: quod continua sanctæ conversationis novitate probatur, quia noviter genita interpretatur. Cujus parentum nomina licet antiqua oblivio subtraxerit; vere tamen constat, quod ex nobilissimo a Israelitarum genere pater ejus originem duxerit, ita ut de eadem tribu et parentela qua Dominus Christus processerit, ipse progenitus fuerit. Mater vero nihilominus soror germana b B. Oswaldi Regis et Martyris extiterit.

S. Neophyta  
nobili genere  
orta,

a

b

2 De quorum præclara stirpe hæc florida propago excrevit; quibus et ipsa non minori cultu Christianæ religionis æquiparari potuit, et ubere virginitatis et martyrii fructu fertilior resplenduit. Quæ dum in primæva ætate elegantia forma cœævulas suas omnes

pulcra et pia,

omnes

expetitur in  
conjugem:

omnes præcelleret, et in conscientia gratiæ cælestis incremento de die in diem suberesceret; tyrannus quidam ex partibus Hispaniæ, non dispar ei ingenuitate, sed omnino dissimilis intentione, eandem sibi nuptial lege confederare concupivit, et ad hoc impetrandum fideles Legatos destinavit. Sed omnipotens Deus, cui complacuerunt tam merita parentum quam filia desiderium, longe aliam mentem illis contulit; et ipsi filiam suam immortalis sponso magis dedicare cuperent, et vota illius voluntati parentum concordarent, idque ad effectum perducere omnimodis optarent. Profecti vero legationem Domini sui parentibus puellæ retulerunt, et se cum gaudio reversuros esse, si tamen id propter quod venerant obtinissent, speraverunt. Sed spes illorum in contrarium versa est. Quare nec parentes præbuerunt assensum, nec filia recipere voluit triste nuntium; asserentes, quod non alia contradictionis causa fuisset, nisi quod immortalem sponsum Regem Regum elegissent.

r ecusat nu-  
bere:

3 Frustrato igitur labore, tristes reversi ad domum suam, retulerunt contradictionem parentum suorum, puellæ constantiam sui que repudium, dicentes, quid causæ intercesserit quod desiderii illius par effectus consequi non potuerit. Hæc ille relatione nimium permotus, impatientissime suam tulit repulsam, et honoris sui pertinuit incurere detrimentum, si de formosissima, quod diu conceptum, non impleret desiderium. Igitur superni Iudicis iram præ amoris magnitudine non expavit, sed hoc solum magni doloris remedium existimavit, ut perfecta Virgo, si aliquo modo fieri posset, violenter raperetur, et sic demum illius conjugio potiretur. Cum autem rumor pertulisset ad aures parentum, ab hoc cæpto irrevocabilem existere ejus animum; boni Pastoris custodiæ oculam suam devote commendarunt, et in monasterium quoddam sanctarum Virginum, in finitima civitate situm, in honore c. S. Martini et beatorum Martyrum Fabiani et Sebastiani dedicatum, cælestibus disciplinis imbuendam tradiderunt. Ubi cum aliquamdiu moraretur, et probabiliter in omnibus quæ ad sanctæ conversationis studium pertinent, Deo digne et laudabiliter conversaretur, nulla fuit in tota congregatione, quam non præcelleret bonorum gressibus operum, congregans in promptuarium cordis sui splendidum caritatis oleum, obviam cælesti sponso exitura, et ad regales nuptias ornata lampade conscientiæ introitura.

ne a furente  
proco rapiatur,

includitur  
monasterio;  
c

ubi sancte vi-  
vit:

4 Quid plura? Fama volante relatum est illi, de quo supra diximus, tyranno, quod ad portum salutis Deo devota confugisset Virgo; et idcirco speravit se ad id quod ardentem concupivit, facilius posse contingere, perpendens eam parentum familieque circumspeditioni abesse. Inito igitur cum familiaribus suis imprudenti consilio, pravorum quorundam hominum ad hoc negotium abuti elegit auxilio, ut fideliter si aliquando præfata Virgo foras monasterium extra civitatem egrederetur, subito rapienda sibi proderetur. Quod et factum est. Dum enim illa diadematis Christi margarita tam ex omni parte lima disciplinæ perfectissime fuisset exposita, et jam tempus remunerationis laboris illius immineret, quod in locum virgineo germine ante secula præparatum per manum summi artificis componi deberet; quodam die, id est, feria sexta, primo diluculo, impetrata permissione, cum octo convirginalibus suis processit, et orationis causa ad templum S. Bartholomæi extra civitatem declinavit. Quod dum sedulo pia intentione fecisset, et hoc ille nequam homo per proditores comperisset; convocatis secum complicitibus suis in transitu ancillarum Dei insidiosè latuit, et agnas simpliciter ambulantes ut lupus rapax ferociter rapuit. Illæ autem vociferantes clamitabant ad Dominum, ne ab eo desererentur, ne lampades earum

foras egressa  
cum 8 sodali-  
bus

rapitur,

igne divino succensæ extinguerentur, ne virginea corpora fœdis amplexibus contaminarentur. Cœpit itaque ille impius prædo, hostis pudicitia, pirata castitatis, primo blandis sermonibus intrepidas mentes puellarum, copiosa divitiarum promissione, ad consensum suæ suorumque voluptatis allicere; deinde diræ mortis comminatione deterrere. Sed lapides cælestis sanctuarii nulla poterant impulsione de suæ rectitudinis statu moveri, ut vel prosperis extollerentur, vel adversis deicerentur.

AUCTORE  
ANONYMO.  
EX MSS.  
et minis ac  
blanditiis  
spretis

5 Videns igitur unanimiter earum constantiam, et in omnibus infatigabilem in sancta professione perseverantiam, primo in beatam Virginem Neophytam furoris sui crudelitatem exercuit, ita ut transfixam gladiis, manibus et brachiis pedibusque singulatim abscissis, decollari jusserit; deinde singulas ferro trucidari præcepit. Talis est militum Christi triumphus, ut potius eligant bene moriendo in carne, in anima vivere, quam male vivendo in carne, in anima mori peccando. Quod manifesto declaratur in præfatis Virginibus, quæ decurso hujus mundi stadio dignæ factæ sunt supernæ remunerationis bravio: nam ab Angelis susceptæ, et ad consortium virginalis collegii perductæ, duplices coronas a justo meritum recompensatore acceperunt; alteras quidem pro virginitatis perseverantia, alteras vero pro martyrii palma. Beata autem Neophyta quia plus ceteris afflicta est immanitate passionis, ei Dominus amplavit mensuram remunerationis; ita ut annuatim in ejus solennitate, ipsius interventu, d. triginta redimantur animæ; et a quocumque ejus memoria digne celebretur, cælesti mercede remuneretur.

trucidatur  
cum sodali-  
bus:

d

6 Satiata igitur rabie nefandi percussoris, et Sanctarum corporibus bestiarum dentibus in campo relictis, non defuit qui hæc nuntiaret S. Neophytæ parentibus, devotas Deo gratiarum actiones re comperta referentibus, eo quod talem filiam genuerunt, quam nec blandimenta, nec terrores a caritate immortalis sponsi separare poterunt. Maturata igitur protectione, perfusa roseo sanguine membra repperunt, quæ cuidam vasi ad hoc officium idoneo imposuerunt; et deferentes ad quoddam monasterium S. Stephani Protomartyris dedicatum extra civitatem, exequiis occulte completis sepelierunt: sed immensa Domini pietas tam sacri corporis thesaurum latere non sinebat in perpetuum, quia prodentibus miraculis cujus esset meriti est manifestatum. Cujus etiam sanctissimæ Virginis dum dies passionis ignoraretur, cuidam Christi Confessori, revelante Spiritu sancto, est manifestatum; videlicet quod pridie Nonas Januarii ingressa sit portam cælestis sanctuarii, ubi in conspectu Dei et Agni decantat canticum novum Virginibus sacris singulare, propter castitatis et Angelicæ conversationis meritum.

sepelitur a pu-  
rentibus:

claret mira-  
culis:

7 Eggestis igitur de terra sanctissimis reliquiis, et per B. e Gregorium Papam Romam translatis, post longo tempore regnante Conrado glorioso Imperatore, et cum religiosa Gisela Imperatrice Augusta hoc impetrante, quo Dominus voluit, id est, in Lymphurgense cœnobium ipsis fundatoribus ædificatum, sunt translata: cujus intercessione et meritis tribuat nobis omnipotens Dominus, ut tam sobrie, tam juste, tam pie in hoc seculo vivamus, ut ad sidereas mansiones immaculati perveniamus. Amen.

e  
transfertur  
Romam,  
postea ad Lin-  
purg cœno-  
bium.

a Qui illi, ubi, quando, adulta jam Christianitate, vivere Israelite, qui regia inirent connubia?

b Occisus est S. Osualdus hæc Northumbriæ anno Christi 643. colitur 5 Augusti. At nusquam de sorore ejus aliqua externo Principi nupta quidquam legitur.

c Ergo post annum 400 si jam dicata S. Martino ædes erat, vixit S. Neophyta; serius etiam si sorore S. Osualdi Regis nata.

d An indulgentia concessa aliqua a Pontifice, an precibus monachorum Lymphurgensium aliorumque piorum hominum, tot animas a Purgatorio liberari conjectet Auctor, incertum.

e Si neptis fuit S. Osualdi, debet hic Gregorius II aut III fuisse, qui initio octavi seculi vixerunt: nam Gregorius I annis facile 40 ante S. Osualdum decessit.

DE